ALBVM, SEV nigrum amicorum.

Author in libri nomen.

Album nomen habes, quia candidiora recludit
Pectora amicorum (pulle libelle) mihi.
Nemo suum numeris nostris adiecit acumen,
Quem mihi non inter, fas, numerare meos.
Album nomen habes, sed nigrum prestat habere,
Est magè conveniens luctibus iste color:
Album, lectorem vult candida pectora: nigrum
Parce (niger lector) dente notare nigro.





Burton

Impressum Londini, per Thomam Creed, pro Andræa Wise. Anno. 1600.

Ad Theophilum suum.

Feilde tuos oculis numeros permensus, alumnum
Ascræi agnosco fertilitate senis:
Quippe sequens iussus imitaris versifer almum
Qui plus quam cepit fænore reddit, agrum
Gratus es, & prudens lachrymis, si defluat imber,
Rore scatens, agri ditius uber erit.

Alter idem.



HONORATISSIMO VIRO, VIRTVTIBVS ORNATISSIMO Domino *Roberto Cæcilio* Equiti, Reginæ Maieſtatis *Secretario ſummo,&c.*



Vr in tuas potiſsimum manus dederem (vir digniſsime) quam *Horatij* manibus dedi operam, cauſam (opinor) iuſtam affero, quà illi amicus, quâ mihi patronus es. Aliteris enim tuis potius quam meis profecto fruens beneficio, & fructum tibi aliquem, grati ſaltem animi referre debui, & hunc potiſsimum, qui ex eodem in alterum patronum animo exoritur, volui. Huc accedit firmiſsima illa inter te & *Horatium* amicitia, quam ſanè violarem, ſi vel morte diremptam ſuſpicarer. Res verò minimè patiebatur vt putarem, aut te non lætatum iri quoquo modo perpetuata coniunctione ea, qua & initâ gaudebas, & dolebas finità: aut alteri dedicandum nomini mortuum, qui tuæ vnicè dignitati viuus dicatus fuit. Quas ob cauſas tuæ (vir honora-

tiſsimae) fidei *Horatium* commendo mortuũ, qui me viuus commendaſſet: te, tuamque fidem illi commendo patri cuius (vt ſpero) ſinu iam fruitur *Horatius*.

VNum charè emptum poſſedit Horatius *agrum*
Delitias Domini (nam delectare ſolebat
Non potuit prodeſſe) tibi quem ſæpè putârat
Ante obitum obtrùſiſſe ſuum (vir ſumme) peremptus
Ante diem dictum ſine poſſeſſore reliquit.
Si teſtamentum feciſſet, mortuus, eius
Te certè hæredem ſcripſiſſet: inutile donum
Si dignere tua (domine optatiſſime) dextra
Excipere, atq; tuos inter numerare (beatos
Qui te poſſeſſorem habeant) hæc paſcua, fundos,
Defuncto pium opus facies, gratumq;: beabis,
Fæcundum facies (qui nunc ſterileſcit) agellum.
Nec prorſus ſterileſcit. Ager ſine floribus eſto,
Et ſine fructu eſto, nunquam ſine frugibus iſtis
(Quos tibi nunc deuouet) erit, ſine floribus illis
Queîs Mæcenatem viuentem oblectet, & eius
Vrnam ornet morientis: & hæc tibi præſtitit ambo
(Horatî:) tibi non maiora, minora nec iſtis
Præſtabit, niſi quod ſubiectum maius, & addet
Muſæ animos, alaſq; ſua. Virtutibus adde
Quotidiè (vir magne) tuis Deus addet vt annis,
Ipſe addatq; annis, vt tu virtutibus addeas.
Muſa diu multúmq; tuas mea mulceat aures,
Dum de laude tua in magnum mea pagina creſcat
De te me ſperante, & te ſpirante, volumen.
Vrnam ornet ſerò: Sapientem Neſtora vincis,
Cur non ergò diù viuentem Neſtora vincas?

Tuo honori ampliſsimo
humillimè deuotus.

Theophilus Feild.



IN OBITVM VIRI AMPLISSIMI, Domini *Horatij Pallauicino* Equitis, Epitaphium.

Vtra mihi patria est, vtra est peregrina viator?
Itala terra tulit, terra Brytanna tegit
Natus ibi, hic vixi, moriorq; ineunte senecta
Illa mihi cunas contulit, hæc tumulum.
Deserui Latium viuus, meque illa reliquit
Quodque ortu meruit, perdidit exilio
Hospitio excepit, fouitque Brytannia longo
Iure sit illa suo patria sola mihi.
Non tamen illa mihi patria est, non vlla sub astris
Sed medio ætherei regna suprema poli.

I. Hall. Imman.

Italiam patriam cur liquit Horatio *quæris?*
Illi occlusa via est in patria ad patriam.
Cur morituro adeò exoptata Britannica tellus?
Scilicet ad cælos hæc via recta fuit.

Nathan. Giffard Pem. aul.

Quæ sic variauit author.

Italiam quæris cur liquit Horatius? illi
Nempè occlusa via est in patria ad patriam.
Cur morituro adeò exoptata Britannica tellus?
Nempè via petijt proximiore polum.

In eundem.

Hoc sub marmore Horatius quiescit
Charus coniugis optimæ maritus,
Indulgens sobolis pater pudicæ,
Liberti ingenui libens patronus,
Serui munificus fidelis herus,
Plenorum Dominus frugi penatûm,
Agri præsidium minus nec vrbis
Probus moribus, integerq; honore,
Velox ingenio, decore fœlix,
Pollens consilio, facundus ore
Quicquid deniq; fletibus dolendum,
Hoc sub marmore conditur sepultum.

N. F. R. C.

In eundem.

Natales ingrata tuos gens Itala iactat,
Quem prius vt peperit postea sic pepulit.
Anglia honorandam celebrant & Belgia vitam,
Flet mortem lachrymis Anglia sola suis.

N. F. R. C.

In obitum Equitis splendidissimi D. H. *Pallauicino.*

DIra Superstitio Latias peragrauerat oras,
Mors animæ, inferni fida ministra Iouis,
Lernæaq; animis immittens virus Echidna
Orco animas hominum mille lucrata dedit.
Nec dederat letho nisi mentis lumine captos,
Huic neq;, cui prius est est visa, nocere solet.
Fortè, datura neci, densa stetit obuia turbæ
Terrificâ vibrans iam Stygis arma manu.

Visaq;

Visaq; vix prius est homini è tot millibus vni,
Visaq; cui prius est bellua, tutus abit.
Tutus abit, nec monstrum ingens, cui lumen ademptum
Huic nocet, at reliquos bellua dira necat.
Vnum (vt erant pauci) illæsum si fortè requiras
Istius effûgit qui trucis, ora Necis,
Expediam, si fortè tuas peruênit ad aures
Huius spectati debita fama viri.
Vnus erat, quem tu tolles in cærula cæli,
Non illaudatus Pallauicinus eques.
Conspecto liquit patriæ qui littora monstro,
Ipse sibi cautâ consuluitq; fugâ.
Inde Anglos adijt, qui talia monstra fugarant,
Talibus & Furijs invia regna colunt.
Insidias animæ cùm non struere impia posset.
Mors animæ, Stygio de Ioue missa viris,
Fælix ille animi, tranquillâ pace quievit,
Integra in integro corpore mensq; fuit.
Verùm aliud toto latè quod regnat in orbe
Monstrum erat, alterius sanguinolenta soror.
Vtraq; terribilis soror est, dabit vtraq; letho,
Corpus vt hæc, animam sic soror illa necat.
Nunquàm huius, vix illius est medicabile vulnus,
Hanc vitare nequis: illa fugata, fugit.
Omnibus hæc terris grassata satellite Morbo
Passim mortales imperiosa domat.
Iàm regum turres, & iam mapalia pulsat,
Debile iàm Morbum vulgus adire iubet.
Durâ sanguineas acuens modò cote sagittas,
Montis in excelso dùm stetit alta iugo,
Morbe mea vires, mea magna potentia, dixit,
Qui fragiles redigis sub iuga nostra viros,
Qui plures Morti, quàm tela Typhoëa, mittis,
Cuius si auxilium desit, inermis ero,
Cernis vbi aduenient ad candida tecta columbæ?
Cernis porticibus tecta superba suis?

Album, seu nigrum.

Cernis læta vireta, & pictos floribus hortos,
Et cingat pictam murus vt ille domum?
Hæc tàm læta vireta, hos pictos floribus hortos,
Picta hæc tecta domus (Morbe minister) adi.
Hic dominum prendas: ī præ, sequar vltima, verùm
Ipse prius corpus sterne iacentis, ait.
Iussa minister obit sua, fulminis ocyor alis,
Audaci dominum sternit & inde manu.
Proh dolor! hinc illæ lachrymæ: quem non fera possit
Mors animæ, Morbus corporis ecce domat.
Quem simulàc lecto fixit, strauitq; iacentem,
Paulatim lento vulnere corpus edit.
Extruditq; foras ducentem Morphea somnos,
Indè accersitus Pallor in ora venit.
Corporis & iam Mors tacito pede lenta propinquat,
Ægroti donèc constitit ante thorum.
Hanc simulàc moriens aspexerat, ora resoluit,
Natales ingrate tremulo fortia verba sono;
Exerce vires in me Mors dura malignas,
Imperium & fragilis corporis, inquit, habe.
Sempèr erit viuax anima hæc, expersq; sepulchri,
Tu quoq; in hanc poteris iuris habere nihil.
Dixerat: atq; (animi quanquã admirata vigorem est)
Risit Mors, & nos siccine spernis? ait.
Non linguâ pedibúsue fugacibus (vt prius) istis
Mortem animæ, Mortem corporis effugies.
Sic effata, ferit lethali pectora telo,
Atq; soluta illi frigore membra rigent.

P. P. Exaul. Pembr.

In obitum Domini Horatij Palauicini, Liguris, Equitis clarissimi, Carmen Epitaphium.

Miraris tam pulchra nouis insignibus (hospes)
Cui surgat moles tumuli, peregrinaq; pendent
Stemmata? siste, lege, & mirari desine. Sunt hæc
E Palauicinâ Tuscorum gente profecta. Quis

(Quis Palanicinam ignorat cum nomine gentem,
Et titulos, titulis æquataq; facta superbis?)
Quæ nunc, dum meliora manent, meliore recumbunt
Ossa solo. Quid enim? Christo parere vocanti
Non trepidet, licet is magna dominetur in aula,
Diues opum, diues famæ melioris, & omnes
Æquet honore, omnes superet probitate Latinos?
Audijt hic Domini vocem clamantis; Horati,
Linque mihi sacro deuotam anathemate terram,
Cæsareasq; vrbes, sed nunc meretricia regna,
Vix datur hinc superas vlli conscendere sedes.
Omne solum patria est sapienti: dummodo cælum
Non negat, aut prohibet patriam inter sidera: quod si
Non est omne solum sapienti patria (Horati,)
I, propera, terramq; cole, inquiline, Britannam.
Paruit auditis. Vbi munere clarus equestri,
Ter foris interpres Regius, ter maxima rerum
Norma domi, fulcrum fidei nutantis, et artis,
(Hinc istæ lachrymæ) cælo repetente supremum
Clausit honore diem. At vos ossa, quiescite, claustro
Condita marmoreo, donec quem quærimus, orbis
Restituat iudex animæ diuortia vestræ.

S. Cr. Imman.

Noster, non nostras, tres vicit Horatius hostes,
Mundi, carnisq;, & dæmonis insidias.
Sic quoque germanos Romanus Horatius hostes,
Tres olim vicit: Forté fuit proauus.

R. S.

Hospes, si quæras aurati corpus Horati,
Ecce, est ante pedes hic iacet in tumulo.
Hospes, quid cessas largos effundere fletus,
Cum neq; vel Marmor temperet a lachrymis.

R. S.

Dic mortiture miſer, tantæ quæ cauſa querelæ?
Marmoreæ Niobes quid cadis in lachrymas?
Hei mihi, flos æui, dignus qui Neſtora vincat,
(Æui flore legunt Numina) morte perit.
Ergone morte perit tranſactam turbine vitam,
(Quæ tantùm diræ mortis aperta via eſt)
Numina cui reſecant, vt flos reniteſcat in hortis
Mortis vbi eſt nullis obuia vita malis?
Vita hæc, mors ſæua eſt, mors talis vita perennis,
Mortuus hic viuit, tu moriture peris.
Viuis at (Horati) dulcedine, viribus, annis,
Qui flores, mortem, Neſtora flos ſuperas.

S. Hutton Defleuit.

In obitum clariſſimi viri
D. Horatij Pallauicini.

E*Menſus poſt tot terras fluctusq; marinos,*
Poſt vitam caſus varijs ambagibus actam;
Emeritus veluti donatur qui rude miles,
Æternam eſt requiem nunc nactus Horatius heros.
Itrequieta diu dum ſe mens anxia verſat
Illius: vt ſcriptorum immenſa volumina voluit
Relligio quænam pura, et diuinitus eſſet
Inſpirata; humano et quæ fabricata cerebro,
In noſtras tandem vergit ſententia partes.
Quoq; Deus, pietasq; vocat diuina, ſecutus
Appulit huc exul ſeſe, Babilone relicta.
Hoſpitem at ambabus complectitur Anglia palmis
Et gremio viuum fouit, gremioq; recondit
Mortuum, honorato et tegit Anglica terra ſepulcro.
Vixit (dum vixit) gratus magnatibus Anglis
Nam prudens pectus vario collegerat vſu.
Intemerata fides regno, pietasq; probata eſt

Quippe

Quippe Anglam Italico gestabat corpore mentem
Præbuit hospitium Musis, benè doctus & ipse
Vnica nam poterat sex linguas lingua referre.
Sed quò nunc rapitis me insuetum laudibus istis
Heroüm Musæ? seruate silentia tandem.
Tuque vale, æternumque vale, prælustris Horati.

Richardus Sibs Iohan.

Epitaph. in eundem.

Extorrem pietatis amor quem fecit, eundem
In cælum patriam fert pietatis amor.

Ed. Mason. Pemb. aul.

Epitaphium.

Duplicis hic iaceo terræ pars, gloria duplex
Vendicat hæc iuuenem, vendicat illa virum.
Sed mihi neutra placet, terras vtrasq; reliqui
Et petij cælos: hæc mihi terra placet.

R. Far. Pemb. aul.

Aliud eiusdem de eodem.

Et cælum, & mentem mutat peregrinus, Horati
Testis Horatio sit qui ad nos dum trans mare currit,
Ad superum mentem de cælo transtulit imo.



Ordine poſtremis debetur gratia metris
Officium tardat nam mora nulla meum.
Ordine cur igitur poſtrema fuere? dolori
Nempè graui, inceſſus tardior eſſe ſolet.

In obitum viri ornatiſsimi, patroni ſui honoratiſsimi *D. H. Pallauicino* Equitis carmen aſclipiadiacum.

MÆcenas Italis edite ſplendidis
Horati patriæ dulce decus tuæ,
O & præſidium & dulce decus meum,
An fines patriæ, dulcia paſcua
Liquiſti, & Genoua magnificos lares
Externas adeuns Angligenûm domos,
Vt nos tam ſubita deſereres fuga?
Non inuenta priùs quæ ſupereſt noua
Tellus? quæ potior terra Britannica?
Qui campi Elyſijs Elyſij magis?
Indulge tibi, tandem pedibus tuis
Curſu continuo parce podagricis,
Nunc ceſſare licet, nunc requieſcere.
En campi Elyſijs Elyſij magis
Queis mutauit agros vir ſapiens ſuos.
Huc huc fecit iter vir ſapiens ſuum
Mæcenas meus huc, huc pede debilis
Claudus corporeo, penna animæ ſuæ
Contendit volucer, non reuocabilis,
Sublimi tetigit ſydera vertice,
Intrauit, reſidet ſydereo in choro
Hic eſt pax animæ, hic eſt pedibus quies.

Theophilus Feild, aul. Pemb.

Eiusdem in eundem carmen Elegiacum.

PRoh dolor. An nullis mors est vitabilis herbis?
Phœbe iuuare tuos Marte, nec arte potes?
Est tibi quorsum arcus? quorsum tibi Phœbe sagittæ?
Quorsum herbæ? quorsum carmina (Phœbe pater.)
Carmina vel Lunam, deducant carmina cœlo
Solem (Phœbicolæ si sit habenda fides.)
Nulla adhibenda fides vano (mihi credite) vati
Sentio carminibus numen abesse meis.
Sentio & expertus loquor, haud deducere cœlo
Patronum poterant, carmina nostra meum.
Tentaui, & rauca resonabant sydera voce
Frustrà: nam surdos repperit illa Deos.
Carmina inæquali pede facta, leuare podagram
Quæ Mæcenati scripta fuere meo,
Sæpè laboranti data (nempe podagrica) sensi
Posse: meus dixit sæpe patronis idem.
Addidit, esse ægris aliquod solamen, habere
Qui faciant morbum compatiendo leuem.
Est ægris morbi socios habuisse leuamen,
Dico leuare, nego tollere posse malum.
Tollere si prorsus potuissent carmina morbum
Quis nescit (mortem tollere posse) sequi?
Non hoc, non illud possunt: quid deniq; possunt?
Magnum aliquid, possunt si prohibere mori.
Et possunt prohibere mori, nam vita superstes
Post vitam, fama viuitur: illa manet
Corpore deficiente, illam dant carmina vitam:
Carmina sic possunt hunc prohibere mori.
Et facient, quamis nequeant deducere cœlo,
Quid si fortè queant? tam quid iniqua forent?
Quam nec Apollo potest nec carmina tollere mortem
E vita, vita tollitur ecce noua.
Quem nec Apollo potest, nec carmina tollere morbum
E vita, vita tollitur ecce noua.

Inuita podagra, mentis pede ſcandit Olympum,
Morbus vbi nullus, mors vbi nulla fiet.

Idem. Pemb. Aul.

In obitum eiuſdem.

D*Ædalus vt Creten (terræ natalis amore*
Ductus) & exilium triſte peroſus erat.
Sic Romam, patriamq; ſuam (pietatis amore
Odit) & exilium Pallauicinus adit.
Omne ſolum forti patria eſt, vbi viuis vt optas
Hæc patria eſt, patria eſt Anglia facta tibi.
Hac patria cælum patria eſt magis, ibimus illac
Pallauicinus ait, dixerat, itq; ſimul.
It? malè: non iuit, poſitis ſed in ordine pennis
Cæleſtes petijt Dædalus iſte domos.
Sic Crete terra eſt. Nam ſicut Theſeus olim
(Quem quondam ad Creten nigra carina tulit)
Candida vela fere ns redijt, ſic Italus iſte
Quem tulit in terræ nigrior vrna ſinum.
Veſte alba indutus ſanctæ quondam indice vitæ
Surget ad extremum Sanctior ipſe diem.

Idem. Aul. Pem.

In eundem.

F*Lete pij: pietas mortalia vulnera ſenſit*
Semiſeputta iacet, meliori ſaucia facta
Parte ſui, quam tres obtruncauere ſorores.
Flete boni, bonitas mortalia vulnera ſenſit
Larga manus trunca eſt, mens libera, prodiga donis,
Quæ miſeris latè patuit, recreauit egenos.
Docti flete, proci Muſarì flete, vel ipſæ
Occubere nouem tam triſti vulnere Muſæ
Enectæ (crudele) fame, dum magnus Apollo
Qui Muſas aluit, perijt: quæ vulnera fecit
(Pallauicine) tua eſt mors, tot, tam triſtia. Parcæ
Inflixere triplex, tres, vno in vulnere vulnus.

Idem. Aul. Pemb.

In eiusdem.

Quid sudas Niobe? non sudo, in funera fundo
Natorum lachrymas: iam desine flere, tuorum
Mortem mors vlta est inter charissima Phœbi
Pignora præ reliquis dilectum, quem arsit Apollo
Italicæ decus occubuit: ne vertat Apollo
In laurum, saxo virtutes obrue tantas,
Conde tuo gremio, quærentem saucia nati
Corpora sic ludes Phœbum, vlciscêre tuorum
Funera, sed ne videaris fœmina sæua,
Crudelis nimium, lachrymas sudare priores
Perge, & ditatam te tanto funere iacta,
Vno hoc lucrata es cum fœnore funere natos.

Idem aul. Pemb.

Epitaphium in eundem.

Italus ex Anglo factus fit Dæmon, at Anglus
Angelus (ex Italo si modo fiat) erit.

Idem.

Hunc Genouæ natum dedit alma Geneua renatum
(Quam moriens auxit, par retulitq; rei)
Inferior ditauit eum Germania, rerum
Proxima virtuti causa reperta viri.
Vtraq; dotauit regio, cæliq; soliq;,
Inferior quam nunc diximus, & supera.
Coniugis (hæc peperit ter) dote superstitis vna,
Altera quæ superest dotibus ingenij.
Viuo & defuncto sedem dedit Anglia: viuus
Corpore consilio, sæpe legatus obit.
Cùm neq; consilio, neque corpore trans mare currit,
Munere multiplici fungitur ille domi.
Defunctus natos, vxorem, remq; relinquit,
(Gnatos & gratam mors moriensq; dedit.)
Mortuus & viuus (quid plura?) domique, forisque,
Consilijs, opera, re, reliquisque iuuat.

Alter idem.

Album, seu nigrum amicorum.

Inter fortunas numerabis Horatio primas
Vicinâ optandum Palladis arce locum.
Adsit vbi in promptu numerosus Horatius, arte
Qui velit, & valeat te decorare suâ.
Quis neget esse loco melius melicre locari?
Sunt pariter decori vtrque, locusque sibi.

Idem.

FINIS.

